UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Volumen ...

Triplex Statvs; Ecclesiasticvs, Religiosus, & Sæcularis

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lugduni, 1663

Cap. 3. Quinam Ecclesiæ immunitate non potiantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-80707

Visual Library

Clerici non poſſunt expellere confugientes ad Eccleſias,& alia loca immunia,ſed debent ſuſcipere defenſionem confugæ. *Cap. Miror Cap. Reum. Cap. Definiuit. Cap. Sicuti antiquitus 17. q. 4. C. Inter alia, de immun. Eccl.* Quia dans alicui loco immunitatem, dat etiam ius omnibus, qui indigent ad ipſum confugere. Ergo qui expellit, priuat confugam iure ſuo, agitque contra iuſtitiam.

9 *Clerici non poſſunt confugientes ad Eccleſiam expellere.*

Si tamen rei ad Monialium Monaſteria confugiant,haud ſunt admittendi. Quia dedecet earum ſtatum & ſexum,id agere. Si verò ipſi vi ineant clauſuram(pro vt iuſtè id aliquando facere poſſunt,ſi ſibi timeant mortem,aut aliquid magnum malum) ceſſante periculo,nequeunt ibi manere. Si autem nolunt inde exire,& immunitate Eccleſiaſtica non gaudeant, curiæ Eccleſiaſticæ tradi poſſunt iuxta modū in conſtitutione Gregoriana præſcriptum. At ſi illa gaudeant, ad minus extrahi debent à clauſura Monaſterij,& in alio ſacro loco collocari. Sanch. *Decal. l. 6. c. 16. n. 59.* Bonac. *de clauſ. q. 4. pun. 4. num.* 13. Lezana *to. 2. ſum. v. clauſura. n.* 31.

10. *Quid ſi rei ad Monialium Monaſteria confugiant.*

CAPVT III.

Quinam Eccleſiæ Immunitate non potiantur?

NON violatur Eccleſię immunitas, dum reus extra locum ſacrum comprehenſus ad carcerem per cæmeterium aut Eccleſiam deducitur,etiamſi per vim extrahatur, & inde exire recuſet. Quia non dicitur capi in loco ſacro, cum liber ad Eccleſiam,vel cæmeterium non confugerit. Idem dixerim, dū reus capitur ſe ipſum voluntariè offerens, nolenſque loci immunitate potiri. Quia licet priuilegiū immunitatis immediatè conceſſū loco ſacro ſit,tamē mediate redūdat in fauorem hominum, quia poſſunt cedere iuri ſuo Nec violatur immunitas, dum reus blanditiis aut deceptione,aut promiſſionibus ſine coactione extractus à loco ſacro extra eū capitur. Quia immunitas ſolum per violentam extractionem violatur. Con. *l. 2. var. c. 20. n.* 13. Suar. *l. 3. c. 13. n. 2.* Nau *ſum. c. 25. n. 21.*

11 *Quando Eccleſiæ immunitas non violetur,reusque eo non habeat, vt eo priuilegio potiatur.*

Immunitate non fruuntur publici latrones, hoc eſt,qui palam, & publicè prædantur,vel publicas obſident vias,vel caſtra tenent, vt tranſeuntes ſpolient. Depopulatores agrorum, quamuis nocturni non ſint, ideſt,qui diripiūt alienos agros,vt qui ſegetes,ſeu fructus ſurripiunt,vineas vaſtant. Cōmittentes homicidia ſui mutilationes in Eccleſiis,aut cęmeteriis earum. Quia par nō eſt,vt immunitate Eccleſię fruatur,qui in Eccleſia delinquit, Hoc ampliandum, quamuis delictum in aliā Eccleſia cōmiſerint ſiue ſine ſpe immunitatis, ſiue cum ſpe commiſſa fuerint;imò ſiue extra Eccleſiā exiſtat,qui occidit, vel mutilauit, modò occiſus vel mutilatus fuerit in Eccleſia. Qui vulnerauit in Eccleſia eum,qui extra Eccleſiam mortuus eſt,immunitate priuatur. Quia delictum homicidii cenſetur in Eccleſia commiſſum. *Inter. alia, de immun. Bul. Greg. XIV.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9.* Nau. *c. 25. n. 20. & 21.*

12 *Non gaudent immunitate publici latrones.*

Qui proditoriè proximū occidit,priuilegio hoc deſtituitur. Proditorē dico eū,qui amicitiam ſimulabat cū eo quem interemit,ſeu qui doloſè aliquē ſeducit, vt occidat, ſeu qui hominem interficit nil tale præuidentē. Qui verò occidit inimicū,non dicitur proditor in rigore loquēdo,quamuis illum à tergo percutiat,aut dormientem perimat. Quia hic mortem præuidere, ac præcauere poterat. *Cōſt. Greg.* Gom. *var. reſ. §. de hom. c. 3. n. 5.* Suar. *l. 3. c. 11. n.* 12. Dian. *p. 1. tr. 1. reſ.* 31.

Nec qui proditoriè proximum occidunt.

Et rei aſſaſſinij,vt patet in *Bull. Greg.* Aſſaſſini dicuntur propriè,qui pecunia, aut pretio alio accepto,vel promiſſo cōducti,præuio mādato,occidūt homines incautos, ſeu nil tale ab eis cogitātes. Et qui tradita pecunia;mādat aliquē per aſſaſſinos interimi. Porrò ad aſſaſſinium requiritur,vt Chriſtianus occidatur, & in dubio eſt pręſumendum,Chriſtianum fuiſſe occiſum, ſi nex in Chriſticolarum terris acciderit. Con. *l. 2. var. c. 20. n. 9.* Suar. *l. 3. c. 11. n.* 15 Iul. Clar. § *aſſaſſinium, n.* 13.

14 *Nec aſſaſſini.*

Hęreſis rei immunitate omnino priuantur. Rei verò hæreſis dicuntur nō ſolū ij,qui cōtrā fidem cū pertinacia ſentiunt: verum etiam ij, qui auxilium,aut refugium prębent hęreticis. Tamen in illis locis, vbi hęretici impunè habitare permittuntur,nec ob hæreſim puniuntur, aliqui ſentiunt in criminibus non exceptis,gaudere vti cæteri, immunitate. *Conſt. Greg. XIV.* Bon. *to. 2. d. 3. q. 7. §. 4. n. 21. & 22.* Diana *p. 1. tr. 1. reſ.* 29.

15 *Nec hæreſis rei.*

Deniq;ea nō fruuntur rei criminis lęſæ Maieſtatis in Principis perſonā. Sed ad hoc crimē requiritur,tū vt ipſamet perſona Principis offendatur,tū à ſuo ſubdito. Dian. *p. 1. tr. 1. reſ.* 6

16 *Nec rei læſæ Maieſtatis in Principis perſonam.*

CAPVT IV.

De peccato, & pœnis violantium Eccleſiæ Immunitatem.

SACRILEGIVM committitur contra loci ſacri immunitatem,dum à ſatellibus fori ſęcularis capitur delinquens, qui fracto carcere ſe ſe in Eccleſiam vel oratorium,vel Hoſpitale authoritate Epiſcopi conſtructum, vel in Monaſterium Religioſorum,vel in Palatium Epiſcopi, vel vbi vſu receptum eſt,in domum Parochi,aut Canonicorum aliorúmue Eccleſiaſticorum non diſtantibus triginta paſſibus ab Eccleſia. Idem dixerim ſi ad hæc loca confugiat,poſtquā ſe è ſatellitum manibus eximit, etiamſi tunc ad capitis ſupplicium duceretur;vel dum ſatellites ipſum inſequerentur ad capiendum. Vnde non poteſt capi reus, qui clauſas Eccleſiæ ianuas,vel ſeras,vel quid ſimile apprehēdit,vel qui ſuprà tectū,ſeu regulas Eccleſię exiſtit. Et ſatellites reū capientes ſuper tectum exiſtentem,aut hærentem valuis loci ſacri, contra eius immunitatem delinquunt. Quod ampliandum,etiamſi delinquens capiatur per eā pallij, vel corporis partē quæ extra valuas,aut extrà alium locum ſacrū prominet. Graf. *p. 1. l. 2. c. 48. n. 7.* Fagund. *l. 4. n. 63.* Diana *p. 1. tr. 1. reſol.* 73.

17 *Sacrilegi ſunt immunitatis Eccleſiæ violatores.*